

fueto mortalibus exemplo, patria aucta, atque ornata fuerat, In tot præstantissimarum virtutum, ac meritorum concursu, Andree Griti fortitudo, labores pro patria suscepti, captivitates, pugnae antelatae sunt. Nam cum Patres ad unum & quadraginta, ad quos Ducis creatio lege spectat, xvij. kal. junias curiam essent ingressi, sequenti die Gritus Princeps renuntiatus est: qui postea per multos annos arduis tempestatibus consilio, virtute, mira prudentia in Reipublicae administratione excelluit.

1523

Andrea
Griti Prin-
cipis electio.

Cæsar, audito Hieronymi Adurni obitu, Marino Caracciolo, qui postea a Paulo tertio in Cardinalium collegium cooptatus est, ac tunc Orator ad Pontificem fuerat designatus, ut Adurni loco Venetias accederet, inchoatumque negotium denuo suscipere, imperavit. Quocirca intentiore studio intermissa pacis tractatio revocatur: quotidie Cæsareanis Oratoribus Collegium adeuntibus, petentibusque ut morae, ac cunctationum causae tollerentur; amplectendamne Patres Cæsaris amicitiam, ac pacem censerent, non obscuris verbis patefacerent. Senatu sæpius coacto, ob diversas sententias nihil decerni poterat, cum majori parti quidquam in re tam ardua non liqueret: quamvis enim Collegii Patres cum Cæsare pacem firmandam arbitrarentur, atque ea de re decretum tulissent; complures acerrime oppugnabant, neque a vetere cum Gallo foedere, atque amicitia recedendum esse contendebant; qui si, ut constanti omnium prædicatione ferebatur, in Italiam armatus descendisset, pro ingenita gentis ferocia, ac viribus, Regis præsentia haud difficulter Cremonæ arcis opem laturus, ac Mediolano potiturus videbatur. Cæsareanos pecunia laborare; quamplurimarum rerum inopia premi; jam præda, ac rapinis alienos, a Gallisque aversos populorum animos ad veteris dominationis desiderium redire; ea si contingerent, Rempublicam impetum omnem irati Regis excepturam; eo acrius fines illius invasurum, quo magis ob spretam amicitiam, foedusque fractum, se ab ea laceffitum fuisse sentiret. Vires, ajebant isti, Gallorum summo Reipublicæ damno experti sumus, qui cum primum, licet immerito, a Reipublicæ amicitia regnandi cupidine, descivissent, nobis ingentem calamitatum cumulum intulere: cæde, ferro, sanguine nostra oppi-

Marinus
Caracciolus
Cæsaris O-
rator ad Ve-
netos.

da,